



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. An sit ens rationis, & quid sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quæst. I. An sit ens rationis, & quid sit. I

DISPUTATIO XX. & VLTIMA.

De Natura Entis rationis.

QVÆSTIO I.

An sit ens rationis, & quid sit?

SECTIO I.

Sententia Adversariorum.

PRIMA sententia asserit nullo modo dari entia rationis; hanc sententiam tuentur Vallesius *contr.* 9. ad Tyrones, Durandus, & Picus Mirandulanus. Probatur hæc sententia.

1 Primo intelligibile supponit ens; ergo si ens rationis est intelligibile, supponit entitatem, quæ sit intelligibilis.

2 Secundo ens rationis, neque est in intellectu tanquam in subiecto, cum accidentia realia debeant esse in subiecto reali, neque efficitur ab aliqua causa; nam causa realis debet effectum realem habere; neque etiam est obiectivè in intellectu, quia sicut entia realia nihil entitatis accipiunt, ex eo quod obijciuntur intellectui, ita ea quæ non sunt non accipiunt entitatem ex eo quod obijciuntur intellectui: ergo nullo modo datur ens rationis.

3 Tercio, quia ens rationis est, quod fingitur ab intellectu; sed esse ens, & esse fictum est maxima fictio: ergo si ens rationis fingitur nullo modo est ens.

4 Quarto, quia nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu; sed ens rationis quod fingitur à ratione nunquam fuit in sensu; ergo non datur tale ens rationis.

5 Quinto si daretur ens rationis darentur duæ contradictoriæ; ergo. Antecedens sic probatur: negatio entis rationis est ens rationis, negatio entis rationis non est ens rationis: sed esse ens rationis, & non esse ens rationis sunt duæ contradictoriæ; ergo si darentur entia rationis darentur duæ contradictoriæ.

6 Secunda sententia asserit ens rationis consistere in denominatione extrinseca, minimè in ente ficticio intrinseco; sic multi ex nostra Societate in manuscriptis, & probatur sic.

7 Primo, quia ens rationis est esse communicatum à ratione, seu esse cognitum à ratione; sed esse cognitum, & communicatum à ratione est denominatio extrinseca: ergo totum esse entis rationis consistit in denominatione extrinseca. Minor sic probatur; quia intellectus formaliter est potentia cognoscitiva, & representativa, ut patet ex illius definitione; ergo modus versandi circa suum obiectum est illud cognoscendo, & representando: ergo tantum potest communicare esse cognitum, & representatum omni subiecto; sed hoc est formaliter denominatio extrinse-

I. P. Tom. I I.

ca; ergo ens rationis est denominatio extrinseca.

Secundo interrogo in quo genere causæ, & qua virtute fiat illud ens intrinsecum rationis si non est denominatio extrinseca? & si dicatur in genere causæ efficientis; ergo per aliquam virtutem intrinsece existentem in ipso intellectu, non enim potest communicare esse intrinsecum extra se intellectus nisi per virtutem per quam illud efficit; sed hæc virtus est intrinseca, cum non distinguatur ab intellectu; ergo per virtutem realem intrinsecam illum efficit: sed intellectus non potest efficere ens rationis per virtutem intrinsecam realem; ergo illud esse entis rationis non est esse intrinsecum. Probatur illa minor; quia causa intrinseca realis non ordinatur nisi ad effectum realem producendum, & per actionem realem; quia totum esse causæ est esse effectuum reale, & posse causare realiter aliquid intrinsecum reale; sed ens rationis nihil habet realitatis; ergo non producitur per virtutem intrinsecam realem.

Neque obstat dicere esse causam efficientem impropiam respectu entis rationis, atque illud efficere per representationem necessario coniunctam cum aliqua actione.

Contra primò, aut illud additum improprie, tollit omnino vim intrinsecam effectivam intellectus, per quam communicet aliquid esse intrinsecum entis rationis, aut non; si primum, habemus intentum; si secundum, adhuc ratio prædicta retinet suum robur, quia illa vis intrinseca realis, quantumvis appelles illam improprie effectivam, non est nisi ad causandum realiter, si quidem est per actionem realem.

Contra Secundò, quia falsum est illud ens rationis intrinsecum in obiecto fieri per representationem formaliter ut representatio est, quia ut talis formaliter denominat obiectum representatum, neque ut sic dat illi aliud esse intrinsecum, sicut neque visio obiecto viso, quare ibi necessario ponenda est alia actio, qua producatur illud esse intrinsecum; quod autem ista actio sit coniuncta cum representatione non tollit quin sit realis, nam actio, qua actus intellectus producit habitum est necessario coniuncta cum representatione, & tamen est realis: sed realis actio non potest, ut probatum est; ergo minimè producitur &c.

Confirmatur, quia sicut representatio picturæ circa res pictas in pictura Centauri, chimæra, Tragelasi, saluatur & intelligitur in hoc quod representet partes obiecti ut unitas, cum vere non sint, absque eo quod ipsi obiecto communicetur aliquid esse intrinsecum, ita etiam suo modo representatio intellectus circa res fictas in hoc vere saluari & intelligi potest sine eo quod aliquid intrinsecum tribuat obiecto.

SECTIO

SECTIO. II.

Aliqua notantur.

14 **A**D intelligentiam huius questionis animaduertendum est entis rationis naturam venandam esse ex analogia ad ens reale, & per habitudinem ad rationem; ut ipsum nomen præ se fert. Primum est apud omnes certissimum, quia cum entia rationis non sint vera entia, & illud esse quod habent, quodquod illud sit, fingat intellectus ad modum entis realis, inde est quod tota natura, & essentia entis rationis sit per similitudinem, analogiam, & proportionem ad ens reale; cum autem ens reale dupliciter sumatur, nominabiliter scilicet, & participaliter; sic similiter ens rationis sumitur ut ens nominale, & ut ens participale rationis; ens nominale est ens secundum essentiam, & connexionem prædicatorum essentialium abstrahentium ab omni tempore & existentia; participale vero est secundum existentiam; certum est autem apud omnes quod essentia entis rationis quatenus ab existentia distinguitur, ut quæcumque essentia realis eo modo quo supra explicuimus, est æternæ veritatis, & non subest contingentia, quia sicut est infallibile quod homo est animal rationale, ita est infallibile quod ens rationis non est verum ens, sed fictitium, ut communiter solet dici, & quod essentialiter distinguitur ab ente reali, & quod uniuersale est vnum aptum ad essendum in multis; existentia autem sicut in ente reali, est contingens, id est, quæ potest esse & non esse; ita etiam existentia entis rationis; seu quod actualiter existat; Quomodo autem sit intelligendum quod ens rationis quoad essentiam, hoc est, quoad connexionem prædicatorum essentialium sit æternum, & ratione cuius verificetur hoc, an ratione possibilitatis, & non repugnantia entis rationis, vel quomodo, satis clare patebit ex dicendis de æternæ veritate prædicatorum essentialium entis realis, videte ibi latissime.

Secundum autem quod ens rationis sumatur per habitudinem, & quasi respectum ad rationem ex terminis, & ex ipsius entis rationis denominatione euidenter clarescit. Cum autem varia sit hæc habitudo ad rationem sic etiam ens rationis solet sumi (ut adnotat communis nostræ Societatis magister Suarez his verbis) varie. Primo enim est quoddam ens quod effectiue sit à ratione, vera tamen, & reali efficientia, eo modo scilicet quo omnia artificiosa possunt entia rationis appellari, quia per rationem fiunt; non est tamen in usu hæc appellatio; quia propter solam habitudinem ad causam efficientem vel exemplarem non solet effectus ita singulariter appellari; aliud est habitudo ad rationem ut ad subiectum inhaesionis, & est magis propria denominatio, nam accidens dicitur esse eius subiecti in quo est, quia accidens est entis ens, & ita omnes perfectiones quæ inhaerent intellectui siue ab illo fiat, siue aliunde proueniant, vel infundantur dici possunt entia rationis; sed nunc non est sermo de illis, quia illa sunt vera entia realia contenta sub generibus accidentium; hæcenus declaratis, unde neque illa acceptio entis rationis multum est vsitata, quia ratio valde materialiter consideratur in ea habitudine; alio ergo modo dicitur

aliquid esse in ratione per modum obiecti, nam quia cognitio fit per quandam assimilationem, & quasi attractionem rei cognitæ ad cognoscentem, dicitur res cognita esse in cognoscente, non solum inhaerere per suam imaginem, sed etiam obiectiue secundum se ipsum, id autem quod sic est obiectiue in mente interdum habet, vel potest habere in se verum esse reale, secundum quod ratione obijcitur, & hoc absolute, & simpliciter non est verum ens rationis sed reale, quia hoc esse est quod simpliciter ac per se illi conuenit; obijci autem rationi est illi extrinsecum, & accidentale; aliquid vero interdum obijcitur, seu consideratur à ratione quod non habet in se aliud reale, ac positum esse præterquam obijci intellectui, seu rationi falso cognoscenti cogitantique, & hoc propriissime vocatur ens rationis, quia est aliquomodo in ratione scilicet obiectiue, & non habet aliud nobiliorem, aut magis talem essendi modum, unde possit ens appellari; quod dupliciter potest esse. Primo ita ut totum esse talis entis sit dependens à ratione, & non habeat aliquid quod non sit obiectum respectu rationis. Secundo sumitur pro eo quod habet perfectionem aliquam, & complementum ab intellectu, quomodo secundum multos, tempus, numerus, & similia dicuntur entia rationis, quia secundum illos non habent suum esse completum, & perfectum sine ratione, & intellectu, etiam si vere sint aliquid à parte rei.

SECTIO III.

Nostra sententia proponitur.

Prima conclusio: certum est dari entia rationis; sic omnes Theologi & Philosophi præter supra citatos.

Primo, quia datur aliquod ens quod non est ens reale in tota latitudine realitatis prout abstrahit à modis, & à rebus; neque est pura negatio, nec privatio, nec purum nihil, sed quoddam quasi medium inter hæc essentialiter distinctum ab iis: sed non potest esse aliud nisi ens rationis; ergo datur à parte rei ens rationis; maior quoad primam partem sic probatur, quia senectus, & canities in Patre æterno, iuuentus, & pulchritudo in Angelo, forma columbæ in Spiritu Sancto; item distinctio absoluta inter attributa diuina, & alia id genus, non sunt vlllo modo nec realiter, nec modaliter à parte rei, ut fides, & lumen naturale docet; ergo talia non sunt ens reale in tota sua latitudine sumpta; item non est purum nihil, ut probabimus postea, nec privationes, & negationes, quæ realiter à parte rei sunt, ut postea probabitur, & etiam, quia senectus, & iuuentus quæ concipiuntur in Deo, & Angelo non sunt negationes, sed prædicata positiva distincta à negatione ratione rationis, v. g. à carentia intellectus & à carentia iustitiæ, quæ fingitur à me in Deo, & à carentia vius quæ à me concipitur in chimæra; ergo est medium inter ens posituum reale, & negatiuum reale, utrumque in tota latitudine, siquidem nec est vnum, nec alterum, & ex alio capite illud esse est essentialiter à ratione, & solum obiectiue in ratione existens; ergo formaliter est ens rationis; ergo datur; minor illa prima sic probatur, quia illud quod quasi medium concipitur non est ens

Quaest. I. An sit ens rationis & quid sit. 3

ens rationis; ergo datur: minor illa prima, sic probatur; quia illud quod quasi medium concipitur non est ens reale, ut probabimus, nec positivum nec negativum: ergo aliquid ens aliquo modo debet denominari; & esse, quia ut ens, & cum similitudine ad ens concipitur, & existit obiectivè, & à ratione habet totum suum esse; ergo est ens rationis.

17 Confirmatur: quia multa affirmamus, & negamus, multa concipimus in ordine ad alia quæ in se ad illa non ordinantur realiter, multa distinguuntur à ratione, quæ in se realiter non sunt distincta; ergo sunt entia rationis: patet quia eo modo est prædicatum superius, & transcendens essentialiter inferiora, quo sunt inferiora: sed illa relatio, & distinctio sunt inferiora rationis; quia sunt relatio, & distinctio factæ per rationem: ergo prædicatum entis superius quod illa denominat, & quod est de essentia illorum est sicut sunt illa; illa sunt inferiora rationis, & non realia; ergo illud erit non ens reale sed rationis, nam ens reale non est prædicatum essentialiter entis rationis, alias esset reale, & non esset reale; antecedens primum sic patet, quia in hac propositione Petrus est homo, hominem ut prædicatum ordinamus ad Petrum, ut subiectum, ut ad aliquid distinctum. Item animal ut sic facimus relatum, & cum superioritate respectu hominis, cum tamen nec relationem habeant animal, & homo, homo, & Petrus, sed potius identitatem realem. Item iustitiam Dei concipimus distinctam à misericordia, & misericordiam ab omnipotentia, cum hac omnia realiter sint idem in Deo ut tenet orthodoxa fides; ergo dantur plura entia rationis.

18 Deinde, quia cum intellectus noster habeat pro obiecto primario ens positivum, & pro obiecto secundario privationes, & negationes; cum has ut sunt in se non perfecte concipiat, concipit illas ut positivas entitates, & ad modum, & similitudinem entis; ergo in eorum conceptione fabricatur ens rationis.

19 Dices posse nos concipere negationem instar entis positivi sine ulla fictione.

20 Contra, quia intellectus noster potest cognoscere cæcitatem v. g. non solum instar entis realis, sed ac si realem, & positivam existentiam haberet, imo affirmando ita esse; ut v. g. Patres antiqui affirmabant Angelos verè, & realiter esse corporeos; sed hoc fieri nequit quin intellectus in tali conceptione efficiat ens rationis cum fingat mens nostra (imo, & hæretici Antropomorphitæ, qui affirmabant Deum esse corporeum) corporeitatem ubi nulla corporeitas datur scilicet in Deo, & in Angelis; ergo datur ens rationis quod non potest negari dum fingimus chimeram, id est, dum intellectus identificat, & unit essentiam hominis, leonis, aquilæ, & equi, quæ monstra nullibi, nec esse, nec posse esse evidenter patet, nisi in ratione; ergo si talia entia sunt in ratione, & minime à parte rei, talia entia sine dubio erunt non realia, sed rationis.

I. P. Tom. II.

SUBSECTIO I.

Secunda conclusio ponitur.

ENS rationis non est denominatio extrinseca à ratione proveniens; sed est quoddam esse fictitium intrinsecum, vel cum fundamento, vel sine illo; hæc est communis Doctorum sententia, & præcipue nostræ Societatis Doctorum, qui typis sua scripta tradidere; & probatur.

Primo, ex Aristotele 4. lib. Met. c. 2. & 22 lib. 5. c. 7. & lib. 6. c. 6. tex. 8. iuxta vulgarem interpretationem sententiam, sed præcipue 5. Met. tex. 14. ubi agens de ente quod intrinsecum est, distinguit illud in duplex, aliud quod verè est in re, & aliud quod non semper est in re, sed solum in apprehensione; sed membra dividentia debent participare divinum; ergo si ens intrinsecum dividitur in ens reale, & ens rationis, ens rationis, & reale erunt intrinseca, præcipue cum hæc divisio sit potius annuatio entium intrinsecorum quod asserit divus Thomas 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. & q. 16. art. 3. ad 2. & 2. 2. q. 8. art. 1. ad 3. opusculo. 42. c. 1. Caietanus c. 1. & 4. de ente, & essentia.

Secundo etiam probatur ex communi divisio- 23 ne entis realis, & rationis in negationem, privationem, & relationem rationis, quam divisionem latissime tractat divus Thomas q. 1. de veritate, art. 1. Item 4. Met. cap. 2. & 1. part. q. 75. art. 1. & in 1. distinctione. 2. q. 1. art. 3. dist. 19. q. 1. art. 1. quæ divisio sumitur ex Aristotele 4. Met. tex. 2. & 3. Met. c. 4. & ex lib. 5. Met. c. 7. ex qua sic argumentor: Ens rationis dividitur in ens rationis, quæ relatio est &c. sed relatio rationis non est denominatio extrinseca sed intrinseca entitas facta; ergo ens rationis quod dividitur in relationem non est ens extrinsecum, sed intrinsecum fictum; patet consequentia, quia sicut impossibile est quod ens reale, quod dividitur in relationem realem, &c. sit extrinsecum, cum relatio realis non possit esse denominatio extrinseca, sed potius entitas realis intrinseca, quia ratio superior debet esse eo modo quo est inferior; alias relatio esset intrinseca & extrinseca entitas; esset intrinseca ut supponitur; esset extrinseca, & non intrinseca, quia denominatio extrinseca esset prædicatum superius, quod de essentia illius esset; unde idem esset, & non esset simul; sic similiter cum relatio rationis non sit denominatio extrinseca, sed intrinseca entitas, & sit ens rationis iam ens rationis non erit denominatio extrinseca. Item ens quod dividitur ut superius prædicatum propter eandem rationem erit ens intrinsecum, & non denominatio extrinseca; nam eo modo debet esse divinum ut sunt membra dividentia, quia divinum est de essentia illorum.

Minor illa sic probatur, quia relatio realis est 24 exemplar, & prototypum ad cuius similitudinem, & analogiam fingitur relatio rationis, ut patet; sed nulla datur relatio realis, quæ sit denominatio extrinseca; ergo relatio rationis quæ non habet aliud esse nisi esse obiectivum totum positum in quadam proportionem cum ente reali relatio erit intrinseca, & non extrinseca, v. g. distinctio rationis, quia concipitur ad similitudinem entis realis, hoc est distinctionis realis de-

bet necessario concipi ut realis, & non cum oppositione, & contrarietate ad illam, quia similitudo non in oppositione, sed in convenientia consistit & si substantiale compositum rationis fingi, non debeo concipere ut inherens, sed potius ut subsistens ut quando concipimus chimaram, & si cecitatem concipimus per modum qualicatis impediens visum, non possumus fingere illam per modum per se stantis, sed potius per modum inherens alteri, quia qualitas rationis debet esse ut qualitas realis, quæ potius inhaeret quam subsistit; ipsa ratio non concipitur per modum absolutæ entitatis quia relationi repugnat quod sit absoluta entitas; sed ratio rationis concipitur ad modum relationis realis, ergo debet concipi non cum prædicatis oppositis relationi reali, sed potius ut simili illi; sed repugnat quod ratio realis sit extrinseca entitas ut est communis sententia Doctorum; imo ipsorum aduerlariorum: ergo repugnat fingere relationem rationis ut extrinsecam denominationem.

25 Tercio, quia nullo alio modo habet esse ens rationis nisi eo modo, quo concipitur, & cognoscitur à potentia faciente ens rationis v. g. ab intellectu; ens enim rationis nullum aliud habet esse nec alio modo habet illud, nisi quod ei tribuit, & eo modo quo tribuit potentia cognoscens rem aliter ac est; sed intellectus quando concipit relationem transcendentalem, & potentiam in vniuersali non concipit nec fingit illam ut denominationem extrinsecam nisi ut intrinsecam, & essentialem rationem respectu vniuersalis, quia fingit relationem transcendentalem, quæ in hoc distinguitur non solum à denominatione extrinseca, sed etiam à relatione prædicamentali, quod hæc non sunt essentielles, ratio vero transcendentalis est maximè essentialis, & intrinseca. Item quando concipit, & fingit intellectus chimaram facit aut identitatem rationis, aut ens rationis, sed identitas, & vniò non sunt denominationes extrinsecæ, sed prædicata maximè essentialia toti composito; cuius sunt vniò, & identitas, ergo omne ens rationis est denominatio extrinseca.

26 Vigetur, quia aliquando fingit intellectus ens rationis extrinsecum, & denominationem extrinsecam rationis, v. g. dum intellectus concipit chimaram videntem aliquod obiectum, ibi enim concipit obiectum visum à chimara, & item est si concipiat ut dexterum respectu illius; item subiectionis in specie respectu generis includit denominationem extrinsecam rationis, ut ibi latè probatum manet, in hoc enim casu, hoc ens rationis distinguitur ab ipsa chimara à distinctione inter prædicata diuina à relatione prædicamentali, & transcendentali vniuersalis, & à cæteris, & non distinguitur in hoc quod vnum sit ens rationis, alterum non, nam utrumque est ens rationis; sed in hoc quod vnum est ens rationis, seu denominatio extrinseca rationis, aliud ens rationis intrinsecum; ergo falsum est dicere omne ens rationis esse denominationem extrinsecam.

27 Quarto efficacius, ens rationis in sententia aduerlariorum non est nisi denominatio cogniti, & representati à cognitione reali intellectu, ita ut præter hoc nihil aliud sit ens rationis, sed totaliter, & adequate consistat in tali denominatione extrinseca à cognitione; sed ut euidenter demonstrandum est quæstione sequenti, illa deno-

minatio non est ens rationis vlllo modo, sed potius denominatio realis extrinseca; ergo ens rationis non est talis denominatio.

SUBSECTIO II.

Vltima conclusio ponitur.

28 **E**ns rationis est illud quod existit sicut, & non verè, ac rate; quod aliter solet à communi Doctorum sententia definiri, dicentium; ens rationis est quod tantum habet esse obiectiue in potentia cognoscente, id est, est illud quod actu non existit, & concipitur ac si actu existeret. Item solet dici quod à ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat, vel concipitur intrinsecum, quod minimè tale est; quia merè extrinsecè existit, vnde rectè dicit Commentator 6. Met. 5. com. 3. ens rationis solum posse habere esse obiectiue in potentia cognoscente, & Angelicus Doctor opusculo 4. c. 1. ait tunc effici ens rationis quando intellectus nititur apprehendere quod non est, ac si esset, & ideo fingit illud aliquo modo ut ens; quod aliter expressit 1. p. q. 16. art. 3. ad 2. & 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. dicens illud quod non est in natura accipit ut ens in ratione, sed.

Aduerte quod esse obiectiue in intellectu est 29 cognosci ab illo, seu esse obiectum cognitionis. & sicut à cognitione res dicitur cognita; ita ab eodem est obiectiue in intellectu, quia cognitio intellectui obijcit, proponit, atque repræsentat obiectum; vbi duo reperiuntur, & cognitio quæ rem denominat cognitam, & obiectiue in mente existentem & res ipsa siue obiectum, quod extrinsecè à tali cognitione denominatur; quando cognitio (ut aduertit Hurtado) denominat rem quæ habet illud esse, sicut cognoscitur, & denominatur, tunc talis res non habet esse obiectiue in intellectu tantum, sed præter illam extrinsecam denominationem, & existentiam obiectiue in intellectu, habet etiam proprium conceptum obiectiue respondentem illi denominationi, & conceptui formali, prioremque illi; in quo euentu nullum fit ens rationis, ut cum quis mente affirmat Petrus est homo, identitas inter Petrum, & hominem habet esse obiectiue in intellectu id cognoscente; quia in tali intellectu repræsentatur ea propositio, præter illud esse obiectiue, habet etiam esse reale illa identitas, quia Petrus habet identitatem cum homine etiam extra intellectum, & etiam si non obijciatur intellectui, & obiectiue sit in illo, & sic non habet tantum esse obiectiue in intellectu, quia & habet esse obiectiue in intellectu, & habet esse extra intellectum in se ipsa; quando autem cognitio non terminatur ad rem sicuti est, neque illi respondet obiectum ut per illam repræsentatur, tunc fit ens rationis, quia obiectum non est in re, sed tantum est in cognitione, nec supponitur ante cognitionem, sed potius per illam collam efficitur; tale autem obiectum per illam collam cognitionem, talique cognitioni obiectum, & non extra cognitionem existens vocatur ens rationis, quia non habet esse nisi à cognitione, seu ratione apprehensum, v. g. fingi in animali relationem superioris; & affirmo animal est superius homine, quod à parte rei non est

Quaest. I. An sit ens rationis & quid sit. 5

superius; ecce illa superioritas nullum aliud esse habet nisi obiectum in intellectu, quod in conclusione diximus consistere in quodam esse fictio, & apparenti, quod solum apparet cum obicitur potentiae cognoscenti, & concipitur ab illa potentia, ut si haberet esse, quod minime habet esse, & hac de causa vocatur esse obiectum tantum.

30 Hoc esse obiectum in ente rationis est duplex, alterum extrinsecum, ratione cuius dicitur ens rationis res cognita & obiectum cognitionis realis, ideoque dicitur esse extrinsecum in intellectu per sui representationem, & hoc est esse cognitum extrinsecum realiter in ente rationis, id est sumptum hoc esse cognitum ut denominatum, seu ut denominationem extrinsecam à cognitione reali; ex eo solum quod cognitio, quasi pure speculative terminatur ad ens rationis, & cum cognitio ex parte obiecti, vel ut clarius loquar respectu obiecti sit forma extrinseca realis, sic etiam illud esse cognitum sumptum ex parte formae extrinsecae cognitionis est extrinsecum reale; cum forma sit realis, nihilque ponat in obiecto intrinsecum, sed tantum repraesentet, realiter absolute ex sua parte quasi pure speculative id quod in obiecto est, siue verum siue fictum ab alia cognitione; cum v. g. ens rationis cognitum practice, & fictitio ab homine, cognoscitur speculative à Deo; vel cum intellectus humanus in ipso obiecto apprehendit essentiam, & existentiam quam habet iam ens rationis fictam ab ipsa ratione practice cognoscente.

31 Alterum est esse intrinsecum in ente rationis, cum intellectus in ipso obiecto cognoscit non pure speculative, sed potius apprehendendo, & cognoscendo practice, siue expresse, siue confuse quasi producit existentiam in illo, cum in obiecto non sit talis existentia; quare cognitio non solum vocatur cognitio obiecti iam praesuppositi, sed faciens suum ipsum obiectum; quia est factiva illius quod minime praesupponebatur ante talem cognitionem.

32 Prior modus existendi, seu essendi obiectum, conuenit quidem enti rationis non proprie ipsi quatenus tale est, sed quatenus aliquomodo conuenit cum entibus realibus, quia sicut alia obiecta realia per conceptum intellectus existunt in intellectu extrinsece, ita similiter ens rationis; & sicut realiter cognoscuntur entia realia sumpta denominatione cogniti ex parte ipsius cognitionis realis, quatenus terminatur ad obiectum; ita similiter ens rationis. Quare denominatio consistit in habitudine, vel formali, vel aequivalenti actuali extrinseca reali respectu obiecti à conceptu intellectus, quasi pure speculative terminato ad obiectum, quia de causa non potest hac esse existentia propria entis rationis, quia illa realis extrinseca denominatio est communis enti reali & rationis. Et etiam quia existentia ficta, & non vera est sola propria entis rationis, sed illa est fictione carens, & vera: ergo non est propria entis rationis.

33 Secundus modus est proprius entis rationis, qui consistit, ut diximus in quodam esse fictio intrinseco, & quasi producto per actum intellectus practice cognoscentem, quia illud esse concipitur ab ipso intellectu, & tribuitur enti, & obiecto cum ipsum obiectum in se non habeat vllum esse.

Explicatur discrimen inter primum, & secundum modum, hoc exemplo euidenti ad quod supponamus quod realis entitas obicitur intellectui; tunc in ea inuenit intellectus rationem entis praesuppositam ante intellectionem, & sic minime facit illam, ut cum cognoscit hominem ad quem non practice, sed pure speculative talis cognitio terminatur, & ideo non facit hominem esse hominem, sed solum repraesentat illum in mente, qui iam talis factus & constitutus ante talem representationem extrinsecam illi praesupponitur: at cum ens rationis obicitur intellectui, & fingit illud intellectus non reperit in eo rationem entis, sed facit illam apprehendendo, quasi esset ens quod antea tale non erat; ita ut ens rationis sit ens solum quasi productum per representationem per quam solum habet totum suum esse, & in tantum habet esse inquantum obicitur & est obiectum cognitionis, ita ut statim ac cessat repraesentari se ut esse entis rationis per talem representationem metaphorice productum, ens vero reale extra apprehensionem est ens, & non accipit esse per representationem, imo supponitur ante illam; ens rationis ideo est ens, quia apprehenditur, cum autem ens rationis, ex eo quod cognoscatur practice, constituitur in esse entis, & illud extra cognitionem non habeat rationem entis, dicitur ens obiectum tantum; unde cognitio per quam ens rationis producit non terminatur ad ipsum, ut saepe diximus, quasi pure speculative, sed potius practice, quasi producendo ipsum esse entis ficti, & apparentis per quod constituitur ens rationis in suo esse essentiali, quod non dicitur obiectum solum, quia obicitur intellectui per conceptum realem, quia sic realiter existit extrinsece, id est extrinsece realiter denominatur, in quo non differt ab aliis obiectis realibus ut supra diximus, nam sicut alia obiecta realia, quia obiciuntur intellectui per realem conceptum dicuntur eo modo habere existentiam realem extrinsecam obiecti cogniti, id est denominantur extrinsece cognita à cognitione reali, quare denominatio analogice vocatur existentia; sic similiter ens rationis à cognitione reali Dei, vel Angeli ad illud terminata denominatur vere, & realiter cognitum, & quasi productum ab homine; hac conclusio sic explicata probatur.

34 Illud ens quod fingitur ab intellectu, & quod repugnat esse à parte rei, & tantum concipitur ac si esset intrinsecum est ens, & tamen non est ens reale: ergo est ens rationis; maior, & minor clarissima sunt, consequentia sic probatur, totum illud esse habet v. g. ab intellectu vel à potentia cognoscente, ita essentialiter ut repugnet non habere ab intellectu, vel à potentia cognoscente, vel quod possit habere ab alio praeter potentiam cognoscentem, & extra illam; ergo si illud est tale esse, quod non sit à parte rei, sed essentialiter dependens à ratione, seu à fictione cognitionis, quasi tribuente illud apparens esse, & fictitium erit sine dubio, ac tergiversatione ens rationis, cum non habeat aliud esse à quo denominetur ens, nisi acceptum à ratione, ut diximus, & à cognitione, & ex alio capite denominatio entis sit ab entitate quam habet denominatum.

35 Confirmatur, ideo ens creatum dicitur tale, & non potest dici increatum, seu non creatum, nec alio modo ens, quia habet quoddam esse essentialiter

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersariorum dissoluntur.

essentialiter dependens à creatione, & à creatore, ita ut nisi à creatore haberet esse, & produceretur, à nullo alio haberet illud, imò repugnat quod vel ab alio solum excludendo Deum, vel aliter excludendo actionem Dei vilo modo habeat esse; quare impossibile est quod tale esse habeat nisi à creatore, sed illud esse fictitium entis rationis intrinsecum ita habet ens rationis, ut repugnet habere aliter nisi à ratione, vel à cognitione, ut uniuersalius loquar, imò non habet aliud esse præter esse fictum à cognitione & à ratione; ergo illud dicitur ens rationis.

36 In fine huius questionis aduerte existentia entis rationis correspondere ab æterno suam possibilitatem (ratione cuius propositiones essentialiter factæ de ente rationis dicuntur æternæ veritatis) quæ dicit non repugnantiam ad existendum obiectiue tantum in intellectu, id est, dependenter solum essentialiter ab illo; vnde hoc discrimen versatur inter possibilitatem, & existentiam entis rationis, quod possibilitas illius non dependet actualiter ab intellectu, nec fit in suo esse formali possibilitatis ab aliquo, quatenus illud esse possibile distinguitur ab ipsa existentia, sed ex se est ante omnem intellectum non repugnantia; vnde in illo formali possibilitatis distinctio ab actualitate, sicut non dependet ab intellectu neque à ratione, sed ab æterno supponitur, ita non est formaliter ens rationis, licet connotatum illius sit formaliter tale. Imò potius iure optimo præcisa illa possibilitas, vt ex se, & à parte rei est, sic realis, & ens reale in illo esse quod habet, non dependet à ratione, nec habet esse obiectiue tantum in intellectu, sed extra intellectum habet suum esse; atqui possibilitas quatenus distinguitur ab existentia obiectiua rationis, non habet illud esse non repugnantia dependens ab intellectu; quia hæc propositio est vera, ab æterno datur possibilitas entis rationis, & quia de se non repugnat fieri fit existens à ratione: sed ab æterno nullus fuit intellectus à quo posset dependere; ergo possibilitas illa non dependet ab illo; unde non habet esse obiectiue solum in intellectu, sed extra intellectum vt ab æterno habuit.

37 Totum hoc exemplum possibilitatis creaturæ realis probatur, quæ non est creatura, nec fit nec suum formalissimum esse possibilitatis habet dependens à Deo, sed potius à se ut latissime demonstratum manet, & ideo potius ens negatiuum increatum quam creatum dicitur, licet existentia cuius est possibilitas, sit ita essentialiter creatura vt repugnet esse nisi à creatore, & per dependentiam ab illo; vnde non implicat vt possibilitas habeat quasi oppositas condiciones in se ac habet in sua existentia, & ideo possibilitas creaturæ non est creatura, & est à se, & non ab alio, licet creatura sit ab alio, & non à se; sic similiter possibilitas entis rationis non est ens rationis in se, sed est à se ab æterno independens in illo esse formalissimo possibilitatis à ratione, & ideo dicitur esse possibilitas ens reale negatiuum, & possibilitas realis, non quod sit possibilitas alicuius entis realis, quia est possibilitas entis rationis, sed quia in se vt distinguitur à connotato à parte rei datur sine dependentia à ratione.

Ad primum concedo maiorem; & nego 38
in se suam intelligibilitatem; ens fictum, nihil enim impedit quod procedat per intellectionem, & quod illud esse per talem intellectionem procedens præsupponatur vel virtualiter à parte rei, vel formaliter per intellectum ante suam intelligibilitatem; v.g. Verbum diuinum procedit per formalissimam cognitionem, & nihilominus essentia, & ratio entitatis diuinæ in Verbo diuino præsupponitur ante suam intelligibilitatem, quæ attributum eius est, vel virtualiter, vel per rationem; & in creatis habitus producit per intellectionem, & nihilominus esse habitus præsupponitur ante suum esse intelligibile, quod est verum, & attributum eius; sic similiter licet ens rationis fingatur, & quasi producat per rationem ante suum intelligibile præsupponit esse, vel possibile à parte rei, vel fictum per rationem, ex hoc autem non potest sequi quod illud esse præsuppositum si existentia sit vel essentia actualis sit ens reale; quia licet existentia entis rationis, & essentia actualis illius præsupponatur ante suam veritatem, non tamen est hæc præsuppositio sine dependentia à ratione, & illud esse præsupponitur non ante intellectionem producentem, licet possit præsupponi ante intellectionem purè speculatiuam illius.

Ad secundum omisa prima parte antecedentis 39
tis, distingo secundam, ens rationis non efficitur ab aliqua causa directè, & quasi per se intendente illud facere concedo; ab aliqua causa indirectè, & veluti deficiente nego. Itaque cognitio per quam fit ens rationis per se fuit effecta ab intellectu, & quia in illa repræsentatur ens rationis, potest dici intellectus causa mediata, & remota indirecta entis rationis, quia scilicet efficit id, quod repræsentatur ens rationis. Tertiam partem antecedentis nega pendet enim ens rationis obiectiue ab intellectu operatione, à qua habet verè cognosci, & denominari cognitum, quod etiam conuenit rebus reallibus, cum hac differentia, quod realia entia præter illud esse obiectiuum quod habent ab intellectu, habent etiam, & retinent suum esse extra intellectum; entia autem rationis solum habent esse obiectiuum.

Ad tertium argumentum distingo minorem 40
esse ens, & esse ens fictum est fictio; esse ens absolute, & simpliciter, quod est verum ens reale, concedo; esse ens apparens, & simile analogicè enti reali nego; fictum enim vt fictum etiam habet suum esse existens apparens, quod solum dependet ab intellectu vt causa illius; dicuntur autem entia ficta, & rationis, quia à cognitione vel rationis, vel sensitiua finguntur.

Ad quartum distingo maiorem si quod est 41
in intellectu sit reale existens à parte rei, & per speciem emissam cognitum concedo; si fuerit fictum, & rationis, vel etiam non verè cognitum nego, vt patet ex libris de anima.
Ad quintum respondetur negando anteceden- 42
dens; ad probationem illius distingo, est ens rationis posituum nego; negatiuum concedo; sicut

Quæst. I. An sit ens rationis, & quid sit. 7

sicut cæcitas quæ est negatio visus est ens reale negatiuum; non autem positiuum; sic similiter formalis negatio entis rationis positiui, negatio rationis est. Secunda pars si neget absolute ens rationis prout dicit negatiuum, & positiuum est falsa; unde si in vno eodemque sensu sumatur vtraque propositio, non verificaretur vtraque, & sic non sunt contradictoriæ, quia contradictoriæ sunt affirmatio, & negatio sub eadem ratione formalissima & non sub diuersis, vt patet ex Summis.

43 Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo ad primum, quia ens rationis est esse communicatum, seu cognitum, distinguo; esse communicatum seu productum proprie, directe, & realiter nego; quasi communicatum, & productum improprie, & indirecte concedo. Item quando dicitur illud esse cognitum, in vltima parte maioris, distinguo; esse cognitum, id est, purè denominatum extrinsecè à ratione nego; speculatiue cognoscere suum obiectum præsuppositum ante talem cognitionem; esse cognitum, hoc est, esse productum indirecte à cognitione fingente esse quod non est, & communicatio quasi practice illi esse quod non habet, concedo: item nego minorem vt patet ad maiorem; item negatur consequentia; ad probationem minoris concedo antecedens, & distinguo consequens, modus verandi circa suum obiectum est illud cognoscendo tantum speculatiue nego; practice etiam fingendo aliquid in illo concedo, quia cum non omne esse cognitum sit denominatio purè extrinsecè, quia esse cognitum entis rationis est intrinsecum fictum à ratione cognoscente rem aliter ac est in se.

44 Ad secundum argumentum respondetur vt in solutione ibi tradita; nam illud esse non est factum in aliquo proprio genere causæ, quia cum illud esse entis rationis non sit proprium, nec verum esse, non est necesse quod in aliquo proprio genere causæ producat, sed sufficit produci improprie, quia sicut non proprie est, sed tantum est esse apparens, & fictum; sic non est necesse quod producat proprie, sed sufficit quod fingatur, hoc est, vt concipiatur vt ens quod minime est, nec potest esse tale, & hoc potest reduci analogicè, & similitudinariè ad genus causæ efficientis; quia quando intellectus fingit cognoscendo quod non est, ac si esset, quasi communicat, & producit esse vbi nullum est.

45 Ad illud vero quod dicitur in illo argumento, quod virtus realis non ordinatur ad ens rationis concedo; virtus enim intellectus non producit ens rationis ordinando se ad illud, sed potius vt causa superioris ordinis, & æquiuoca illius fingendo aliquid ac si esset; hæc suffiunt ad solutionem argumenti in materia; sed in forma respondeamus.

46 Concedo primam, & secundam consequentiam, & nego minorem illam: sed intellectus non potest efficere ens rationis per &c. Ad probationem illius concedo quod ens reale non ordinetur nisi ad ens reale; ad illud autem quod in illa probatione dicitur, quod totum esse causæ realis est effectuum reale producendo aliquid reale tantum nego, producendo illud, & fingendo ens rationis concedo; unde licet effectuum reale vniuocè petat producere aliquid reale directè, & per se, indirectè tamen, & æquiuocè, ac metaphoricè potest producere ens fictum.

47 Ad replicam primam contra solutionem res-

pondeo dicendo Distinguo, tollit omnem vim per quam communicet aliquid esse intrinsecum reale proprium directe productum concedo; indirectè improprie, & metaphoricè productum, hoc est, fictum, & apparens, id est per cognitionem concipientem rem cum non sit nec habeat esse, ac si haberet nego, vt patet ex supradictis; item concedimus virtutem realem non ordinari ad ens rationis, sicut nec potentia Dei ad creaturam producendam; negamus tamen, quod ideo non producat fingendo vt diximus.

Ad secundam replicam negamus esse falsum dicere, quod illud ens rationis fiat per repræsentationem, vt diximus sæpè sæpius supra, & latè explicuimus. Ad probationem distinguo, quia vt talis denominat &c. neque vt talis &c. Si talis cognitio sit purè speculatiue (vt terminis aduersariorum loquamur) cognoscens rem vt in se est concedo, si sit practice terminata, & cognoscens rem aliter ac est nego; nam si cognitio practice terminetur ad obiectum non solum denominat repræsentatum extrinsecè, sed etiam tribuit illi esseque non habet, cognoscens rem aliter ac est in se.

Ad exemplum de visione dicimus eo modo concurrere intellectionem, & procedere circa suum obiectum, sicut visio circa suum; & sicut visio quando terminatur ad verum, & reale visibile cognoscendo illud eo modo quo solum denominat extrinsecè; sic similiter, quando intellectio cognoscit rem veram vt est extrinsecè terminatur, & solum extrinsecè denominat illud; & sicut visio quando non cognoscit rem eo modo quo est, sed fallitur cognoscendo rem aliter ac est, non solum denominat extrinsecè, sed quasi producit colorem fictum intrinsecè, cum v. g. in cælo tribuendo esse coloris obiecto, quod in se non est color; sic similiter cognitio, quando cognoscit rem aliter ac est, non solum denominat extrinsecè, sed etiam intrinsecum esse producit fictum, vt patet ex dictis; ex quo patet non esse ponendam aliam actionem coniunctam cum intellectione, sed sufficere ad illam metaphoricam entis rationis productionem, intellectionem ipsam.

Ad confirmationem respondeo, negando quod pictura non det aliquid intrinsecum obiecto, vt signum conceptionis internæ; nam pictura repræsentat hyrcocerum &c. exprimendo illud esse intrinsecum, quod illud accipit à ratione pictoris fingente illud intrinsecum esse per suam rationem, unde cognitioni formaliter tribuendum est illud esse intrinsecum chimæræ, tanquam ei, quæ est causa illius esse improprie, cognitioque practica per quam producitur illud esse intrinsecum rei pictæ; picturæ vero non nisi remotè, & vt signo productionis intentionalis chimæræ; non enim pictor pingendo facit ens rationis in se, sed quod est factum per suam cognitionem repræsentat per picturam, vel facit vt pingendo existat cognitio chimæræ; per quam facienda est chimæra scilicet ens rationis.